QVAESTIONVM DE COLLEGIIS ARTIFICVM SCENICORVM PROLVSIO

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ET VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IX. MENSIS IANVARII H. XI. A. MDCCCLXIX

PVBLICE DEFENDET

OTTO LÜDERS

ANHOLTENSIS

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

L. A SYBEL DR. PHIL.
I. STEVP DR. PHIL.
H. DETTMER SEM. PHIL. SEN.

BONNAE
TYPIS EXPRESSIT PETRVS NEVSSER
MDCCCLXIX

DIIS MANIBVS

F. TH. WELCKERI

VIRI INCOMPARABILIS

PIENTISSIMO GRATISSIMO ANIMO

A.

Tempore satis antiquo apud Atticos extitisse collegia, diversa ratione instituta certisque iuribus ornata, Solonis lege a Gaio servata demonstratur (Digg. XLVII 22, 4) *ἐὰν δὲ δημόται* (Fl. *δῆμος*) *ἢ φράτορες ἢ ἱερῶν ὀργεῶνες* (Fl. *ὀργίων*) *ἢ ναῦται*[1]) *ἢ σύσσιτοι ἢ ὁμόταφοι ἢ θιασῶται ἢ ἐπὶ λείαν* (Fl. *λίαν*) *οἰχόμενοι ἢ εἰς ἐμπορίαν ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους*[2]), *κύριον εἶναι ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.* Demotas enim, phratoras, gennetas cultu dei aut herois gentilis communi, quem sacris et conviviis celebrabant, inter se coniunctos fuisse notum est[3]). Quod exemplum ad alias sodalitates et intra et extra gentes institutas facile accommodari sensimque excoli potuisse apparet. Quare cur sodales a Solone cum gentilibus componantur haud difficile est intellectu. Fortasse e gentibus orti sunt sodales qui appellantur *ὀργεῶνες*, qui cum illis a grammaticis fere aequiparantur[4]). Sed omissa pristina illa significatione posteriore tempore eo nomine quaelibet sacra sodalitas no-

---

[1]) Viros doctos, qui v. *ναῦται*, quod hic sane incommode intervenit, emendare studuerunt, enumerat Lobeckius Aglaoph. p. 305. Chr. Petersen (Der geheime Gottesdienst bei den Gr. Hamb. a. 1848 p. 42) scribi vult *γεννηταί*, Usenerus *μύσται*.

[2]) *Οἵτινες ἂν τοιούτων διαθῶνται τι* scr. Petersen.

[3]) Cf. Meier De gentil. Attica Halis 1833. Egger mém. d'hist. anc. p. 109 sqq.

[4]) Meier (De gent. Att. p. 25 s.) orgeones gentium partem quandam effecisse statuit; Schoemannus (Opusc. I p. 183 ss.) nulla gentis necessitudine sacro quodam vinculo coniunctos fuisse censet.

tabatur [5]). Orgeones autem comparantur cum sodalibus thiasorum, qui *θιασῶται* sive *θιασῖται*[6]) dicuntur, quod nomen facile explicari potest.

Socrates Xenophonteus postquam descripsit vim Amoris addit *πάντες ἐσμὲν τοῦ θεοῦ τούτου θιασῶται* (conv. 8, 1), et satyrorum maenadum turba, quae Dionysi vestigia sequitur, *θίασος* appellatur [7]). Itaque Lucianus (deor. dial. 22, 3) Panem dicentem facit *καὶ ὁ Διόνυσος οὐδὲν ἐμοῦ ἄνευ ποιεῖν δύναται, ἀλλὰ ἑταῖρον καὶ θιασώτην πεποίηκέ με* [8]). Namque thiasotae pari modo atque orgeones id propositum habebant ut deum quendam aut heroa sacrificiis conviviisque colerent [9]). Thiasotae vero non modo Bacchi cultores sed omnium deorum dearum heroumve vocabantur, et Petersenum, qui thiasotas

---

[5]) Etym. m. p. 629, 23 *ὀργεῶνες· σύνταγμά τι ἀνδρῶν ὡς τῶν γεννητῶν καὶ φρατόρων· ὠνόμασται ἀπὸ τοῦ ὀργιάζειν, τὸ θύειν τοῖς θεοῖς* (cf. Bekk. An. p. 286), ubi adiecta particula *ὡς* et similitudo et discrepantia satis aperte significantur. Harpocr. *ὀργεῶνες· οἱ ἐπὶ τιμῇ θεῶν ἢ ἡρώων συνιόντες.*

[6]) Poll. VI, 7 *θιασώτας ἢ θιασίτας.* Moeris p. 186 *θιασῶται διὰ τοῦ ω Ἀττικοί· θιασῖται Ἕλληνες.* cf. Hesych. *σίαορ· θίασος, Λακῶνες.*

[7]) Athen. VIII p. 362 F. *καλεῖται δὲ καὶ ὁ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος θίασος.*

[8]) Philostr. v. Apoll. II, 37 p. 41, 28 K. — *θεοφόρητον δὲ κἀμὲ ἡγοῦ καὶ πάντας ὦ βασιλεῦ τοὺς τὸ ὕδωρ πίνοντας· νυμφόληπτοι γὰρ ἡμεῖς καὶ βάκχοι τοῦ νήφειν· ποιήσῃ οὖν, ἔφη, ὦ Ἀπολλώνιε κἀμὲ θιασώτην:* cf. Eur. Iph. A. 1058. Welcker G. G. III, 151 f.

[9]) Harpocr. *θίασος· τὸ ἀθροϊζόμενον πλῆθος ἐπὶ τελετῇ καὶ τιμῇ θεοῦ.* Athen. V p. 185 E. *οἱ δὲ νομοθέται τὰ μὲν φυλετικὰ δεῖπνα καὶ τὰ δημοτικὰ προσέταξαν, ἔτι δὲ τοὺς θιάσους καὶ τὰ φρατρικὰ καὶ πάλιν ὀργεωνικὰ καλούμενα.* Etym. m. p. 454 *θιασώτης· ὁ κοινωνὸς τῶν θυσίων· ἐκαλοῦντο δὲ καὶ οὗτοι ὀργεῶνες· ἐκλήθησαν δὲ ἀπὸ τοῦ θιάσου, ὅπερ ἐστὶ σύνοδος καὶ συναγωγὴ ἀπὸ τοῦ θεῖν* cf. Bekk. An. I p. 264, 23.

cultibus tantum orgiasticis addictos fuisse putat (Geh. Gottesd. p. 42), errasse postea apparebit.

Cum thiasis coniunguntur a Solone ὁμόταφοι i. e. sodalitates ad communem sepulturae curam instistutae, id quod in plurimis sodalitatibus factum esse videbimus. Σύσσιτοι autem vocantur qui coenas communi opera instituunt; qui usus per totam antiquitatem pervagatus in maioribus collegiis certis legibus et formis comprehendebatur.

Nautarum mercatorumque collegia cur formata sint, mercaturae navigationisque iam antiquissimis temporibus florentis rationes demonstrant. Haec quoque collegia cum thiasorum exemplo certum deum conventibus certo tempore repetitis colerent, sodales θιασώτας appellarunt. Solonem etiam piratarum sodalitates curasse aut ita explicabimus, ut latrocinandi iura ex Homericis carminibus nota vestigia quaedam vel tunc temporis reliquisse sumamus, aut legislatorem de navibus bellorum tempore capiendis cogitasse putabimus, id quod certis privilegiis publice promoveri par erat [10].

Quaecumque ab illis sodalitatibus constituebantur et decernebantur e lege Solonis ita valebant, nedum publicis legibus repugnarent: itaque collegiis tam gentiliciis quam communibus, sive res sacras sive civiles curabant, aequa iura et privilegia tributa fuisse apparet.

Magna auctoritate apud Graecos *erani* institutum fruebatur, cuius rationes post varias virorum doctorum disputationes iam satis perspectas habemus [11]. Stipe enim menstrua collata communis arca instituebatur qua sodales adversa fortuna laborantes ita iuvarentur, ut re

[10]) Cf. Boeckh Staatshh. I, 762 s. Lobeck Aglaoph. p. 305.
[11]) Boeckh Staatshh. I, 346. Meier-Schoemann Att. Proc. p. 540 s.

familiari restituta omnia se reddituros esse promitterent[12]). Erani nomen etiam ad convivium refertur, quod sumptu communi non solum cibis et potu, verum quibuscumque hilaritas iucunditasque augeri posset instruebatur[13]). Utrumque erani genus mature cum thiasotarum sodalitatibus mixtum esse videtur, quae aeque atque eranistae symbolis inter sodales collatis et conventuum et adiumentorum sumptus tolerabant. Quare neglecta pristina religiosae sodalitatis notione et *θίασος* et *ἔρανος* idem collegium significant, sodalesque utriusque generis collegiorum et thiasotae et eranistae appellantur, ita ut eis temporibus, quibus sodalitates quam maxime florebant, certa discrimina vix inveniantur[14]).

Collegia quem ad finem iustituta sint Aristoteles, cuius aetate maxime florere coeperunt, hisce nos edocet (eth. Nicom. VIII, 2) *ἔνιοι δὲ κοινωνιῶν δι' ἡδονὴν δοκοῦσι γίνεσθαι, θιασωτῶν καὶ ἐρανιστῶν· αὗται γὰρ θυσίας ἕνεκα καὶ συνουσίας· πᾶσαι δ' αὗται ὑπὸ τὴν πολιτικὴν ἐοίκασιν εἶναι· οὐ γὰρ τοῦ παρόντος συμφέροντος ἡ πολιτικὴ ἐφίεται, ἀλλ' εἰς ἅπαντα τὸν βίον, θυσίας τε ποιοῦντες καὶ*

---

[12]) Symbola vocabatur *ἔρανος*, symbolas postulare *ἐρανίζειν*, in commune conferre *πληροῦν* vel *πληρώσασθαι τὸν ἔρανον*, sodalis erani *ἐρανιστής*. Poll. VIII, 144. Plut. de aud. p. 41 E. Etym. m. p. 369, 31 *ἐρανιστής κυρίως ὁ τοῦ ἐράνου μετέχων καὶ τὴν φορὰν ἣν ἑκάστου μηνὸς ἔδει καταβάλλειν εἰσφέρων.*

[13]) Hesych. *ἐξ ἐράνου· ἔρανος εὐωχία κτέ.* — *στρωματίτην ἔρανόν τινα ἐν ᾧ ἑαυτοῖς παρεῖχον τὰ στρώματα.* cf. Casaub. ad Athen. III p. 117 C. (Animadv. 3 c. 31.)

[14]) Athen. VIII p. 342 E *ἔρανοι δέ εἰσιν αἱ ἀπὸ τῶν συμβαλομένων εἰσαγωγαί, ἀπὸ τοῦ συνερᾶν καὶ συμφέρειν ἕκαστον· καλεῖται δὲ ὁ αὐτὸς καὶ ἔρανος καὶ θίασος καὶ οἱ συνιόντες ἐρανισταὶ καὶ συνθιασῶται.* Hesych. *θίασον· εὐωχίαν· καὶ πλῆθος οὐ μόνον τὸ Βακχικὸν ἀλλὰ (καὶ) τὸ ἐργατικόν.*

περὶ ταύτας συνόδους, τιμὰς ἀπονέμοντες τοῖς θεοῖς καὶ αὑτοῖς ἀναπαύσεις πορίζοντες μεθ᾽ ἡδονῆς. Haec anaglyphis, quae stelis duabus in honorem sacerdotum a thiasis Nicaeae positis insculpta sunt, egregie illustrantur [15]. In summo lapide altero fragmenta restant coronae et taeniae sacerdotalis; in medio pone aram arbor extat, dextro latere vir barbatus rectus adstat tunica superiniecto pallio indutus, qui laeva manu longum sceptrum tenens dextra phialam super aram porrigit. A sinistro latere appropinquant proxime aram puer ovem adducens sacrificandam, puella dextra manu hirneam, in capite canistrum portans laeva manu sustentatum; denique vir longo pallio indutus e quo dextram manum sub pectore adorantis habitu attollit. Infra anaglyphum leguntur verba haec:

Οἱ θιασῖται Ἀσκληπιάδην Μελιδώρου |ἱερωτεύσαντα καλῶς καὶ ἀξίως| ἐν τῷ τετάρτῳ καὶ ἑβδομηκόστῳ |καὶ ἑκατόστῳ ἔτει ἐστεφάνωσαν| τῇ τε στήλῃ καὶ στεφάνῳ ἀνθίνῳ μετὰ ταινίας διὰ βίου.

Vir barbatus cum sceptro avique in arbore sedente, quam aquilam habere non dubitamus, *Iuppiter* est, sacrificium accepturus ab Asclepiade sacerdote et ministris pro sodalitate oblatum.

In altera tabula tres quasi scenae distinguendae sunt. Et in superiore quidem parte sacrificium sicut in altero lapide repraesentatum videmus. A dextro latere sedet dea, modium capite gerens, longa tunica superiniecta palla induta, dextra phialam tenens; tympanum, quod genu impositum laeva manu sustentat, et iuxta deae

---

15) Conze Reise auf der Insel Lesbos, p. 61—64. tab. XVIII. XIX. Wescher rev. archéol. 1865 I p. 214.

pedes leo assidens, *Cybelen* clare indicant. Sequitur proxime deam vir rectus citharoedico habitu insignis, laeva manu citharam, dextra phialam tenens. Pone aram hic quoque arbor extat; ad aram altera puella ovem ducit sacrificandam, altera tibia canit; denique mulier adulta eodem precantis habitu quo illuc sacerdos adoratura adstat. Spatio intermisso decem virorum convivium repraesentatur. Pulvini brachiis recumbentium rite subiecti sunt, ante tabulam et tibicines canunt et ministri convivis cibos vinumque praeparant; addita sunt duo bacula sive panis sive carnis frustis onusta. Sequitur denique inscriptio haec:

Οἱ θιασῖται καὶ θιασίτιδες [ἐ]στεφάνωσαν Στρατονίκην Μενε||[κρά]του ἱερωτεύσασαν [16]) ἐν τῷ η̅ καὶ ο̅ καὶ ρ̅|[ἔ]τει μητρὶ Κυβέλῃ καὶ Ἀπόλλωνι στεφ[ά]|ν]ῳ γραπτῷ ἐν στήλλῃ καὶ κηρυκτῷ σὺν ται|ν[ί]ᾳ καὶ ἄλλῳ στεφάνῳ κηρυκτῷ σὺν ταινίᾳ ἐν τῇ τοῦ Διὸς [17]) συναγωγῇ [φιλαγ]αθήσασ[αν. [18])

Citharoedum *Apollinem* esse apparet, quem una cum *Iove* et *Cybele* sodales colunt. Hisce igitur anaglyphis duas praecipuas sodalitatum actiones repraesentatas videmus. Sacerdos et mulier quae sacerdotio fungitur sacrificant, convivium adhibitis tibicinibus et servis satis illustratur. Cum Asclepiades sacerdos ad annum 174, Stratonice ad annum 178 referatur, facile quis de sacerdotibus annuis

---

[16]) *Ἱερωτεύειν* etiam in titulo C. I. Gr. n. 2771 II v. 17 invenitur, ubi Boeckhius litteram *ω* mutare non debebat.

[17]) Petersen Zwei Inschriften (progr. Gymn. Hamb. acad. a. 1862) p. 45 *Διὸς* in *Δίου* mutavit, ut nomen mensis macedonici restitueret.

[18]) Ita emend. Keil. *[ἀ]γαθήσασ[αν* Wescher.

et de aera ex anno quo thiasus conditus sit ducta cogitet, de qua nihil constat [19]. Sed cum tituli Nicaeae positi sint, recte Conzius aera Bithynica adhibita, quae e regibus Bithynicis facta incipit a. p. u. c. 457 (a. Chr. 297) titulos annis 123 et 119 a. Chr. n. insculptos esse censuit [20].

Anaglypha aedificium, quo sodales conveniebant et epulabantur, et lucum sacrum quo sacrificia et libationes offerebantur, etiam ad spatiandum convivio peracto aptum, nobis ante oculos ponunt. Vocabantur autem haec aedificia *φωλητήρια* [21] aut *θιασῶνες* [22].

Posteris temporibus oblectandi studium apud cuiuscumque generis sodalitates magis magisque praevaluisse a veteribus scriptoribus traditum est. Itaque fieri potuit, ut praeses convivii apud Athenaeum epulones alloqueretur *ἄνδρες θιασῶται*, neque aliunde explicandum quod apud Photium scriptum extat: *θιάσου, ὅσπερ ἐστὶν ἡ ἀπὸ τοῦ πίνειν συναγωγή* [23]. Eius generis collegia in Boeotia permulta floruisse videntur: testamentis ad symposia celebranda magnas pecunias in fraudem heredum iis delatas esse, quo factum esset ut mensis plura convivia quam dies haberet, Polybius narrat (XX, 6) [24]. Aeginetae festa celebrabant quae dicebant *θιάσους*, quibus in honorem Neptuni per sedecim dies silentio epulati

---

19) Wescher l. l. p. 217.

20) Cf. Borghesi Sull era bitinica (Oeuvr. num. II p. 345—57).

21) Poll. VI, 7 *ἰδίως δὲ τοὺς τῶν θιασωτῶν οἴκους φωλητήρια ὠνόμαζον.* Hesych. *φωλητήρια καὶ φωλεαὶ τῶν θιασωτῶν καὶ συνόδων οἶκοι.*

22) Hesych. *οἶκοι ἐν οἷς συνιόντες δειπνοῦσιν οἱ θίασοι.*

23) Poll. VI, 8 *τοὺς δὲ συνιόντας συμπότας ὁμοσίτους συσσίτους συνουσιαστάς θιασώτας ἢ θιασίτας εἰλαπιναστάς ἐρανιστάς.*

24) Cf. Droysen Hellen. II 83 ss.

esse feruntur (Plut. Qu. Gr. XLIX). Pyrrhus a Tarentinis auxilio vocatus contra Romanos, quo animos effeminatos ad virtutem erigeret, convivia communia (*συσσίτια*) in posterum sustulit.

Commune nomen quo omnia collegia comprehenduntur est *τὸ κοινὸν*, vel *σύνοδος* [25]) vel *πλῆθος*; aliae sodalitates *συμβιώσεις* vel *συμβιώσεις φιλίαι* vocantur [26]).

Iam vero variorum, quae ex titulis potissimum cognoscere licet, collegiorum recensum quantum fieri potest plenissimum instituemus. Quanta commerciis per varias gentes magis magisque propagatis cultus et religionis commixtio et variatio perfecta sit, quamnam vim haec in sodaliciis potissimum instituendis exercuerit, vix est quod moneam. In Piraeo peregrinorum semper pleno permultae sacrae sodalitates sedem habebant, quae peregrina numina patronos sibi elegerant. In insulis Delo, Rhodo, Puteolis, locis commercii frequentia celeberrimis, plurima collegiorum variorum vestigia servata sunt.

Cum Athenis metroum illud magnum extaret, etiam in *Piraeo magnae matri* templum consecratum erat, sodalitatis cuiusdam thiasotarum vel orgeonum curae traditum. In ea munera magistratuum a peregrinis suscipi

---

[25]) Alexandriae Antonio praeside *ἀμιμητοβίων σύνοδος* florebat (Plut. Ant. 28. 71).

[26]) Per figuram similiter usurpantur *φρατρία* (Liban. IV p. 645 *φρατρία λῃστῶν*. Plut. de curios. XV, 147 *τῆς τῶν πολυπραγμόνων φρατρίας*. Ioa. Chrysost. c. Gentil. et Iud. I c. 9 p. 571 B *σκληραγωγουμένων φρατρίαι*. Nicet. Ann. II, 41 *φρατρία τῶν ἀντιδόξων*) et *συμμορία* (Liban. Ep. 84 p. 46 *συμμορία κολάκων*. loa. Chrysost. ad Antioch. Hom. XI, 122 *ποιησώμεθα φρατρίας καὶ συμμορίας καὶ ὅπερ ἐπὶ συμποσίων οἱ πένητες ποιοῦσιν, ἐπειδὰν αὐτὸς ἕκαστος ἑστιάτωρ ὁλόκληρος γενέσθαι μὴ δύνηται, συνελθόντες ἅπαντες ἐξ ἐράνου τὴν εὐωχίαν εἰσφέρουσι.*)

poterant; inter quos Soterichus Troezenius et Cephalion Heracleota nominantur [27]). Athenis quidem peregrini a publico cultu excludebantur, tamen quominus in Piraeo privatorum cultuum participes essent nihil impediebat [28]). In iisdem sodalitatibus mulieres quoque sacerdotio fungebantur [29]). Deinde in Piraeo *Venus Syria* et *Iuppiter Labraundius* a collegiis suis colebantur [30]). Quaestor collegii Heracleota nominatur, Heracleae autem Iuppiter Stratius i. e. Labraundius insigni modo cultus esse videtur [31]). *Sarapidi* quoque, cuius religio inde a Ptolemaeo I in Graeciam inlata erat [32]), in urbe Athenarum collegium Sarapiastarum institutum erat cum Serapeo [33]). Omnium *heroum* cultum sibi proposuerat thiasus heroistarum *(τῶν Ἡρωϊστῶν)* [34]).

Inde ab antiquissimis temporibus erat in usu certis diebus certis deis honores offerre [35]). Vicesimus mensis

---

27) Magnae matris templum apud Heracleam extructum commemorat Arrianus peripl. 19.

28) Magnae matris thiasus (*μητρωακὸς θίασος*) etiam Cii florebat (C. I. Gr. 3727).

29) *Ἐπιγρ. ἑλλ. κ. τ. π. ἀνεκδ. κτλ. ἐν Ἀθην.* 1860 p. 4 s. *ἀρ.* 5. 6.

30) Rangabé Ant. hell. II, 809 = Le Bas Attique 383 = Ann. d. inst. XXI, p. 162, Foucart rev. archéol. 1864 II p. 399 ss.

31) Welcker G. G. I, 642. Preller Gr. M. I, 109.

32) Paus. I, 18, 4 cf. Welcker Kl. Schr. III, 100. Preller Ber. d. saechs. Ges. d. W. VI, p. 196 s. E. Plew De Serapide p. 29 s. 33. (Regim. Bor. 1868).

33) C. I. Gr. 120 cf. Keil Sched. epigr. p. 39. 40. Le Bas Attique 381. Simile collegium (*οἱ σαραπιασταί*) *Cei* sedem habebat Eph. arch. 2629, cuius tituli paullo plenius apographum exstat 3003.

34) Pittakis L'anc. Athèn. p. 35. = Rang. 811. = Eph. arch. 861. cf. Keil Sched. epigr. p. 37 s.

35) Exempla huius religionis permulta recensuit Od. Müllerus tnouv. ann. de l'ins. arch. I, 335—351.

dies Apollini sacratus erat, liberi illo die nati *Εἰκάδιοι* vocabantur Icadii nomine, Apollinis nymphaeque Lyciae filii [36]. Oropi in confinio Atticae et Boeotiae decretum repertum est a sodalitate, quae *τὸ κοινὸν τῶν Εἰκαδέων* nominatur et prae ceteris deis Apollinem Parnessium venerabatur, Hegesia archonte Ol. 114, 1 (a. 324 a. Chr. n.) positum. Videntur igitur *εἰκαδεῖς* vocati esse qui vicesimo cuiusque mensis die in honorem Apollinis conveniebant. Quamquam ipsum nomen aliquid difficultatis movet. Cultores enim Veneris, cui quartus mensis dies sacratus erat, appellantur *τετραδισταί* [37], Epicuri discipuli vicesimum diem concelebrantes ut natalicia praeceptoris *εἰκαδισταί* [38] et similiter nomina collegiorum in *-σται -ασται* exire solent [39]. Quare Muellerus nomen quod est *Εἰκαδεῖς* ita interpretatur, ut e nomine festi diei *εἰκάς* locum quo convenirent *εἰκάδεια* appellata et ex hoc nomine sodales *εἰκαδεῖς* vocatos esse putet. Quam derivationem certam non dixerim. Nomen tamen *Εἰκαδεύς*, de quo cogitari vult Petersenus (Geh. Gottesd. p. 42) nusquam inveni.

In modum thiasorum posteriore tempore Athenis etiam philosophorum sectae collegia constituebant; inter quos eicadistas, Epicuri sectatores, iam commemoravimus; de aliis refert Athenaeus (V p. 185) *πολλῶν γοῦν εἰσι φιλοσόφων ἐν ἄστει σύνοδοι, τῶν μὲν Διογενιστῶν, τῶν δὲ Ἀντιπατριστῶν λεγομένων, τῶν*

---

36) Serv. ad Virg. Aen. III, 352.

37) Menand. ap. Athen. XIV p. 659 C Hesych. *τετραδισταί.*

38) Athen. VII p. 298 D cf. Diog. L. VI, 8, 101. Plut. non posse suav. vivi sec. Epic. 4, p. 1089 C.

39) Athen. XII p. 551 F *ἀντὶ νουμηνιαστῶν κακοδαιμονιστὰς σφίσιν αὐτοῖς τοὔνομα θέμενοι.*

δὲ Παναιτιαστῶν· κατέλιπε δὲ καὶ Θεόφραστος εἰς τὴν τοιαύτην σύνοδον χρήματα (cf. VII p. 298.)

Verbo tetigisse sufficiat hoc loco collegium sexaginta scurrarum Philippi Macedonis tempore celeberrimum, qui in honorem *Herculis* in *Diomeio* convenire solebant, quorum iocos scurriles descriptos rex talento emisse fertur[40]. Longe ab his diversum fuit *Herculis parasitorum* collegium. Archon rex e quoque pago duodecim viros germanos eligebat morum puritate insignes, qui certo die in Herculis templo epulantes parasiti vocabantur. Itaque cum collegium efficerent sacrum, thiasotae quoque Herculis nominari potuerunt[41]. Qui talem honorem assecuti erant iis liberos quoque suos ad conventus adducere concessum fuit[42]. Aliud scurrile collegium iuvenum erat, qui se *Ithyphallo* daemoni consecrabant (*τελοῦντες ἀλλήλους τῷ Ἰθυφάλλῳ*), quorum ineptias, quas libera professione *ἰθύφαλλοί ἐσμεν οἱ*

[40]) Theopompus ap. Athen. VI p. 260 A. cf. XIV, p. 614 F, Aristophanis *Διομειαλάζονας* (Ach. 574). Welcker G. G. II, 786. Scurras istos cum parasitis Herculis necessitudinem habuisse, qui cultores Herculis in Heracleo psephismate Alcibiadis (Athen. VI p. 234) *κατὰ τὰ πάτρια* e nothis eorumque filiis eligebantur, id quod Kampen demonstrare conatus est (De parasit. apud Gr. sacrorum ministris Gott. 1867 p. 27), nullam habet veri speciem.

[41]) Hos parasitos Aristophanes in comoedia *Δαιταλεῖς* inscripta spectasse videtur. Diodor. com. ap. Athen. VI p. 239 D. p. 235 C. Suid. *Δαιταλεῖς· δαιτυμόνες καὶ θιασῶται καὶ συμπόται κτέ.* Cf. Etym. m. p. 251, 40. Zon. p. 464, 5 *δαιταλεῦσι, δαιτυμόσι, θιασώταις ἢ συμπόταις κτέ.* Meineke Com. Gr. fr. II, 2 p. 1021 ss. Goettling Ges. Abhdl. I, 257. Ber. d. saechs. Ges. d. W. 1854, 21 ss.

[42]) Isae. de Astyph. hered. 30 *εἰς τοίνυν τὰ ἱερὰ ὁ πατὴρ ὁ ἐμὸς τὸν Ἀστύφιλον παῖδα ἦγε μεθ' ἑαυτοῦ ὥσπερ καὶ ἐμὲ πανταχῇ καὶ εἰς θιάσους τοὺς Ἡρακλέους ἐκεῖνον εἰσήγαγεν, ἵνα μετέχοι τῆς κοινωνίας· αὐτοὶ δ' ὑμῖν οἱ θιασῶται μαρτυρήσουσιν.*

συνημμένοι καὶ ἐρῶντες ἀλλήλων excusatas volebant[43]), acerbe Demosthenes castigat (c. Con. 17, 20 p. 1263, 69). Neque insolitum fuisse videtur pueros ad sodalicia admittere. Extat epigramma in puerum, qui octo annos natus Athenis defunctus est, cuius sepulcro thiasotae dionysiaci coronam hederaceam imposuisse dicuntur *στέμμα δὲ [καὶ κισσοῖο] Διωνύσου θιασῶται πυρφό[ροι] ἐ[ς τόδε μοι μνῆμα] κατεξετέλουν.* (Welcker Syll. epigr. Gr. p. 24, 9. C. I. Gr. 956). Unde puerum inter sodales fuisse efficitur.

Duo decreta honoraria in insula *Salamine* reperta[44]) Osannus (Syll. II, 56) recte intellexit *Bendidis* thiasotas exhibere, cui deae iam Periclis aetate Athenis cultae, templum prope Dianae Munychiae exstructum erat[45]).

Thebis collegium florebat *τῶν συνθυτάων τῶν Μωσᾶν τᾶν Ϝισιοδείων*[46]), quod fundos quosdam possedisse ex uno quo commemoratur titulo colligi potest. Ceterum hi sodales prooemium theogoniae, quod Heliconii teste Pausania subditicium habebant (IX, 31, 5), Hesiodo non abiudicarunt.

Haliarti in *Dianae* honorem sodalitas venatorum

---

[43]) Synes. encom. calv. p. 85 C *ὅστις λάθρα μέν ἐστι πονηρὸς καὶ οὐδὲν ἄλλο παρέχεται γνώρισμα τοῦ θιασώτης εἶναι τῆς Κότυος, εἰ μόνον ἓν τοῦτο φανείη, περὶ πλείστου τὰς τρίχας ποιούμενος, ὡς ἐναλείφειν τε αὐτὰς καὶ βοστρυχίζειν, εὐθὺς ἅπασι πρόχειρον εἰπεῖν ὅτι τῇ Χίων θεῷ καὶ τοῖς Ἰθυφάλλοις ὠργίακε.*

[44]) C. I. Gr. 109 cf. in add. p. 901. 110 = Rang. 1247 = Le Bas IV, 1643 cf. Keil Sched. epigr. p. 40.

[45]) Welcker G. G. I, 564. Preller Gr. M. I, 243 cf. Bergk Comm. de rell. com. Att. p. 88.

[46]) Rang. 892 — Le Bas III, 403 — Keil Syll. inscr. Boeot. p. 80 cf. Sched. epigr. p. 38.

instituta erat (*σύνοδος τῶν κυνηγῶν*)[47]; simile collegium *Stiride* floruisse videtur (*οἱ κυνηγοί*)[48].

Tei, in ipsa sede magnae synodi Ionicorum artificum Dionysiacorum multae sodalitates extitisse videntur, fortasse coniunctae cum civium distributione in phratrias et gentes, quae hic, ut Boeckhius observavit (C. I. Gr. 3064) similiter atque in Attica obtinebat. Gentiliciorum certe collegiorum vestigia reperta sunt complura, velut *τὸ κοινὸν τῆς Ἐχίνου συμμορίας* (C. I. Gr. 3065). Nonnullis titulis nomina commemorantur thiasorum coronis inclusa: *οἱ θίασοι πάντες*[59]), *τὸ κοινὸν τῶν Παναθαναϊστῶν, τῶν Διονυσιαστῶν*[50]).

Smyrnae imperatorum aetate praeter synodum artificum sub praesidio imperatorum florentem *τὰ κοινὰ τῶν μυστῶν Δήμητρος* et *Διονύσου*[51]) *τῶν Ἑρμαϊστᾶν* extiterunt[52]).

Ex anaglyphis supra tractatis certo confirmari potest, *Nicaeae* collegia quaedam et *Iovem* et *Cybelen* una cum *Apolline*[53]) venerata esse.

---

[47]) Ann. dell' inst. arch. XX p. 55.

[48]) Ross Inscr. Gr. ined. I, 75. Collegia venatorum in titulis romanis inveniuntur, Orelli 48 al.

[49]) C. I. Gr. 3101. 3112.

[50]) C. I. Gr. 3073 = Le Bas Asie min. 106. Panathenaistas de Panathenaeis ab iis celebratis denominatos esse apparet. Ita in catalogo emptorum *Teni* reperto *τὸ κοινὸν τῶν Θεοξενιαστῶν* commemoratur i. e. eorum qui *τὰ Θεοξένια* celebrent (C. I. Gr. 2338 v. 25. 114. 116. 117. 118. *τὰ κοινὰ τῶν θιασωτῶν* ib. v. 60).

[51]) C. I. Gr. 3194. cf. decreta demi, curiae, synodi 3199. 3200.

[52]) Henzen Bull. dell' inst. 1860 p. 218 s. Collegium cultorum Mercurii (*τῶν Ἑρμαϊστᾶν*) ex inscriptione inedita Tralliana commemorat Foucart rev. archéol. 1865 I, 222.

[53]) Apollo una cum Cybele Megalopolide, Athenis, Laodiceae colebatur (Paus. VIII, 30, 4. I, 3, 5. X, 32, 5.)

Therae pervagatus mos erat mortuos heroicis honoribus prosequi, ut illa in Theraeis titulis frequentata *ἀφηρωΐξεν* vel *ἀφηρωΐσθαι τὸ μνημεῖον* (C. I. Gr. 2834, 12) vel *ἀφηρωϊσθήσεται τὸ μνημεῖον, ἡ σορός* (C. I. Gr. 2845, 9) satis testantur [54]. Ii quibus publice heroum honores decernebantur, magna populi frequentia non solum splendide sepeliebantur, sed in herois in memoriam eorum exstructis quotannis et sacrificia et coronationes fiebant [55]. Eiusmodi cultum gentilicium spectat testamentum Epictetae, quo ad constituendum collegium inter gentiles cum templo, sacerdotio, sacrificiis, libationibus, et ad festos dies sodalicii celebrandos tria milia drachmarum donantur [56]. Praeterea Epicteta heroa duorum filiorum coniugisque aedificari iubet; deinde eos qui in gente successuri sint, quotannis ducentas drachmas addere iubet, ut in Museo quotannis mense Delphinio triduum die undevicesimo Musis, ceteris diebus heroibus gentiliciis, i. e. donatrici, coniugi filiisque sacrificetur (IV, 14 ss.) De sacrificiis, sacerdotio, quod filius quisque maxime natus administraturus sit, de conviviis, de pecunia mutuanda, de custode librorum *(γραμματοφύλαξ)* titulus accurate docet. Alia inscriptione Theraea nescio quae sodalitas sanxit testamentum mulieris Argiae, quae sodalicio quingentas drachmas testamento reliquit, ut conviviis memoria Argiae eiusque filiae celebraretur [57].

---

[54]) Cf. Ross Inscr. Gr. ined. III, 203—18. 251. C. I. Gr. 2468—2473. Ephem. arch. 430. 431 *νέον ἥρωα*. 433. 490 (1840).

[55]) Keil Anal. epigr. et onomat. p. 42 ss. Ross Arch. Aufs. II, 415 ss. 421 s.

[56]) C. I. Gr. 2448 cf. Ross Reisen auf den Gr. Inseln I p. 72.

[57]) Quodsi Theraea quadam inscriptione matri deum quotannis sacrificia tauri, tritici, hordei, vini aliarum primitiarum spondentur

Iovem gubernatorem solis, pluviae, ventorum, tempestatum in summis montibus cultum esse notum est. In arce Athenarum Pausania teste (I, 24, 3.) Terrae statua fuit Iovem pluvium implorantis. In magna siccitate populus Romanus capitolium ascendebat nubes et pluviam precaturus [58]. Similem morem sequebatur in insula *Co* sodalicium *Iovi* sacrum, quod communem pompam instituere solebat ad aram Iovis in clivo aedificatam, unde nomen tulit *τὸ κοινὸν τῶν συμπορευομένων πὰρ Δία ὑέτιον* [59]; quicumque ad locum sacrum commigraverunt comiter a collegio accipiebantur.

Quantum augendis sodaliciis religionum diversissimarum confusio profuerit, *Rhodus* praecipue testis est, mercatura inde ab Alexandri magni tempore prae ceteris civitatibus celeberrima [60]. Et hic quidem catalogum sodalitatum, quarum vestigia ibi reperta sunt, proponere sufficiet [61].

(cf. Göttling Bull. d. inst. 1841 p. 57 = C. I. Gr. 2465 s. Vol. III p. 1086. Cf. Rang. 893. 1208) non opus est, cum de cultu deum matri apud Theraeos habito aliunde constet (Ross Arch. Aufs. II, 423 s.) de collegio magnae matris cogitare (cf. Wescher rev. archéol. 1866 I p. 245 s.)

[58]) Tertull. Apol. 40. Cf. Petron. Sat. 44 „stolatae ibant nudis pedibus in clivum, passis capillis, mentibus puris et Iovem aquam exorabant.“

[59]) Ross Inscr. Gr. ined. II, 175 = Transactions of the roy. soc. of litt. Vol. I p. 287. 1843.

[60]) Cf. Droysen Hellen. I, 479 ss.

[61]) C. I. Gr. 2525 b. Wescher rev. archéol. 1864 II p. 462. C. I. Gr. 2528. Ross Inscr. Gr. ined. III, 282. Wescher rev. archéol. 1864 II p. 470. Ross III, 291. 292. Hamilton Researches in Asia minor Vol. II app. V, 301. rev. archéol. 1866 II p. 331. Ross Hellen. I, 2 p. 113, 46 = Keil Philol. Suppl. II p. 612 s.

1. *Ἀγαθοδαιμονιασταὶ Φιλόνειοι.*
2. *[Ἀ]δωνιασταί*[62]).
3. *Ἀθαναϊσταί.*
4. *Ἀθαναϊσταὶ Λινδιασταί.*
5. *Ἁλιασταὶ καὶ Ἁλιαδαί.*
6. *Ἀπόλλωνος Στραταγίου (θιασῶται).*
7. *Ἀσκλαπιασταὶ οἱ ἐν Αὔλαῖς.*
8. *Ἀφροδεισιασταί.*
9. *Διονυσιασταί.*
10. *Διονυσιασταὶ Χαιρημόνειοι.*
11. *Διὸς Ἀταβυριασταί.*
12. *Διὸς Ἀταβυριασταί τῶν τᾶς πόλιος δούλων.*
13. *Διὸς Ἀταβυριασταὶ Εὐφρανόρειοι οἱ σὺν Ἀθηναίῳ Κνιδίῳ.*
14. *Διὸς Ξεινιασταί.*
15. *Ἡροεϊσταί.*
16. *Ξουσαριασταί.*
17. *Οἰακιασταί.*
18. *Παναθαναϊσταί.*
19. *Πανιασταί.*
20. *Σωτηριασταί.*

In insula *Cypro* cultores *Dianae* commemorantur (*ὁ θίασος τῆς Ἀρτέμιδος*)[63]). *Syri* collegium quoddam eranistarum *Neptuno* et *Amphitritae* donarium dedicasse testatur titulus[64]).

Interdum collegia vocari *συμβιώσεις* supra iam significavimus[65]).

[62]) *Δῶνις Ἀδῶνις* conferri possunt cum *Κιδάλια Ἀκιδάλια, Παισός Ἄπαισος* sim. cf. Lobeck Pathol. elem. p. 25. Keil Philol. Suppl. II, 613.

[63]) Rev. archéol. 1866 I p. 437.

[64]) Ross Inscr. Gr. ined. II, 107 = Ephem. arch. 272.

[65]) Artemid. Oneirocr. IV, 44 *ἔδοξέ τις ἐν συμβιώσει καὶ φρατρίᾳ τοῖς συμβιωταῖς ἀναστειλάμενον ἑκάστῳ προσουρεῖν.*

Pergami florebat *ἡ Διοσκουριτῶν συμβίωσις* (C. I. Gr. 3540); *Smyrnae ἡ συμβίωσις τῶν Συμπινάλων*, quae qualis fuerit ignoro (C. I. Gr. 3304). Minora amicorum sodalicia in titulis commemorata significare videntur, eos qui mortuum honore affecerint, in vita amicitia cum eo coniunctos fuisse. Eius generis sunt *φιλία* vel *συμβίωσις φιλία* [66]; *ἡ ἱερὰ συμβίωσις καὶ νεωτέρα* i. e. *νεωτέρων* Maeoniae (C. I. Gr. 3438).

Caesar cum collegia tamquam rerum novarum adiumenta efficacissima tolleret, *Deli* quoque ullos exceptis synagogis Iudaeis conventus fieri vetuit [67]. Delum autem commercio et mercatura tum temporis florentem mercatores Tyrii ut stationem sibi elegerant. Decretum tenemus, haud ita multo ante Chr. n. scriptum, synodi *τῶν Τυρίων ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων* sive *τοῦ κοινοῦ τῶν Τυρίων Ἡρακλεϊστῶν ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων* [68]; constitutum igitur est collegium in honorem *Herculis Tyrii*. Miserat legatum ad Athenienses qui locum peteret, quo Herculis sui templum aedificaretur, ut Athenis quoque mercatores res suas curare possent. Cum Athenienses libenter sodalium precibus obsequerentur,

---

[66]) C. I. Gr. 2073 cf. 2072 b. 2339 b in add. Vol. II p. 1057. Le Bas Inscr. gr. et lat. (Paris 1839) V p. 11 s. Franz elem. epigr. p. 337. Boeckh. ad C. I. Gr. 2339 b.

[67]) Ios. Antt. Jud. XIV, 10, 8 *Γάϊος Καῖσαρ ὁ ἡμέτερος στρατηγὸς καὶ ὕπατος ἐν τῷ διατάγματι κωλύων θιάσους συνάγεσθαι κατὰ πόλιν, μόνους τούτους (τοὺς Ἰουδαίους) οὐκ ἐκώλυσεν οὔτε χρήματα συνεισφέρειν οὔτε συνδεῖπνα ποιεῖν.* Cf. Mommsen de coll. et sod. p. 78 s. De Tarquinio Superbo narrat Dion. Hal. IV, 43 *συνόδους συμπάσας — ἐφ' ἱερὰ καὶ θυσίας προεῖπε μηκέτι συντελεῖν, ἵνα μὴ βουλὰς ἀποῤῥήτους ποιῶνται περὶ καταλύσεως τῆς ἀρχῆς.* Cf. Arist. Pol. V, 9, 2.

[68]) C. I. Gr. 2271 cf. 2287.

laudantur a synodo et legatus propter pactum cum Atheniensibus optime conclusum magnis honoribus afficitur. Iidem mercatores Tyrii secundo p. Chr. n. saeculo et *Puteolis* et *Romae* stationes habebant. Titulo insigni a Mommseno tractato (Ber. d. saechs. Ges. d. W. phil. hist. Kl. II, 57—62. 1850) compertum habemus, stationarios mercatorum Tyriorum Puteolanos epistulam misisse in patriam, qua ostenderent, collegium adhuc magnum magis magisque necessariis diversi generis sumptibus exhauriri et vix deos Tyrios amplius ut fas esset colere posse; ipsis et in agonibus Puteolis celebratis sumptus bovis victimae conferendos festisque imperatoris omni cultu aedificia ornanda esse; mercatores autem, qui e patria venire solerent, diu esse quod tributum non solverent. Quibus de causis Puteolanae stationis multo deteriores esse res quam Romanae; neque collegium pensionem decem milium drachmarum, quam pro aedificiis, horreis sim. urbi haud dubie solvebant, amplius solvere posse; se rogare igitur ut in patria aliquo modo ipsis succurretur. Centum et septem diebus post legatus collegii epistulam senatui Tyrio traditam recitavit. Unus autem e senatoribus censuit legem ferendam esse, quae stationariis Romanis decem milia drachmarum pro pensione solvenda imponeret; sin minus, fore ut stationarii Puteolani Romanam quoque stationem susciperent; quae sententia maximo plausu comprobata est.

Alia mercatorum sodalitas *Athenis Iovi hospitali* sacrata, *ἡ σύνοδος τοῦ Διὸς τοῦ ξενίου τῶν ἐμπόρων καὶ ναυκλήρων* (C. I. Gr. 124), a senatu veniam imaginis sodali optime merito eidem proxeno ponendae petiit.

Tomis sedem habebat *ὁ οἶκος τῶν ἐν Τόμει*

ναυκλήρων[69]); quod collegium de domo conventuum denominatum est[70]).

Collegia scenicorum artificum, quae vocantur *αἱ σύνοδοι τῶν περὶ τὸν Διόνυσον τεχνιτῶν*, institutis imitata sunt collegia athletarum similiumque artificum, quae ad artem ostentandam per urbes migrabant. In nonnullis urbibus tales sodalitates cum gymnasiis coniunctae fuisse videntur, velut *Patmi* τὸ κοινὸν Λαμπαδιστῶν τῶν ἐν Πάτμῳ καὶ μετεχόντων ἀλείμματος[71]). In *Amorgo* insula sodalicium τῶν κορδακιστῶν τῶν περὶ τὸν Πύθιον Ἀπόλλωνα κορδάκων[72]), *Deli* τὸ κοινὸν τῶν Εὐπατοριστῶν (C. I. Gr. 2278) cum gymnasio coniunctum, florebant.

Maiora athletarum collegia, quorum vestigia ante imperatorum aetatem nulla inveni, aut de *Hercule*, aut de imperatore, altero Hercule, dicuntur. Ἡ ἱερὰ περιπολιστικὴ εὐσεβὴς Σεβαστὴ [σύνοδος] καὶ ὁ σύμπας ξυστὸς τῶν περὶ Τ. Αἴλιον Ἀδριανὸν Σεβαστὸν populum Aphrodisiensium per litteras rogant locum, quo statuam ponant sodalis egregii, qui dicitur ὁ παγκρα-

69) Arch. Zeit. 1850 p. 140. = rev. archéol. 1853 I p. 379.

70) Cf. C. I. Gr. 3439 ὁ ἱερὸς δοῦμος κατὰ τὴν θεῶν ἐπιταγήν. In inscriptione Lanuvina (Orelli 3740) *curia* pro *collegio* ponitur (cf. Henzen arch. Zeit. 1850 p. 238). Simili ratione intelligendum videtur τὸ παλαιὸν Βακχεῖον Megarense (C. I. Gr. 1059), quod Welckerus interpretatur *bacchisches Fest überhaupt* (G. G. III p. 151). Sed cum illo titulo honore afficiantur mulieres nomineturque ὁ ἀρχιερεὺς ἐπώνυμος thiasum bacchicum intelligamus opus est; cf. etym. m. p. 453, 58 θίασμος, εὐωχία ἐσθ' ὅτε δὲ καὶ τὸ βακχεῖον φησί· κυρίως δὲ τὸ πλῆθος.

71) Ross Inscr. Gr. ined. II, 189 = Guérin Descr. de l'île de Patmos et de l'île de Samos (Par. 1856) = Ephem. arch. 228 1862 cf. Krause Hellen. I, 1, 184. 201 s. 361 s.

72) C. I. Gr. 2264c Vol. II in add. p. 1035 = Ross Arch. Aufs. II, 639. cf. Ἄρτεμις Κορδάκη Paus. VI, 22, 1.

τιαστὴς ἱερονείκης περιοδονείκης, qui a puero virtute praestiterit *(ἀπὸ πρώτης ἡλικίας τὰς ὁδοὺς τῆς ἀρετῆς τραπείς)*, gravi autem morbo correptus sit ut studiis athleticis amplius operam dare non possit [73]. Sub Hadriani praesidio Romae ludos faciebat *ἡ σύνοδος ξυστικὴ τῶν περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθλητῶν ἱερονεικῶν στεφανειτῶν* (C. I. Gr. 5906—13). Hi artifices ab imperatore dono acceperant domum, in qua habitarent librosque suos reponerent et locum sacrum *(τέμενος)*, quo *Herculi* sacrificarent. Romae autem non per totum annum, sed *ἀπὸ καταλύσεως* habitabant. Per urbes potius migrare solent, sicut *ἡ φιλοσέβαστος καὶ φιλορώ[μαιος Ἀλε]ξανδρέων περιπολιστικὴ εὐσεβὴς σύνοδος* (C. I. Gr. 5804); *ἡ ἱερὰ ξυστικ(ὴ) Ἀντω(νινιανὴ) Γορδιαν(ὴ) εὐσ(εβὴς) Σεβ(αστὴ) σύνοδος* (C. I. Gr. 8560).

Ut catalogus collegiorum et sodaliciorum nimis longus tandem aliquando finem inveniat, enumerare liceat *collegia opificum* in nonnullis *Asiae* civitatibus titulis commemorata. Smyrnae *ἡ συνεργασία τῶν ἀργυροκόπων καὶ χρυσοχόων* (C. I. Gr. 3154), Magnesiae *ἡ σύνοδος τῶν Σμυρναειτῶν παρόντων καὶ κοραλλιοπλαστῶν* (3408), Thyatirae *οἱ ἱματευόμενοι* qui ipsorum sumptu aedificium imperatorium exstruxerunt (3480), ibidem *οἱ κεραμεῖς* (3485), *οἱ ἀρτοκόποι* (3495), *οἱ βύρσεις* (3499), *οἱ βαφεῖς* (3496. 7. 8.), *τοῦτο τό ἡρῷον στεφανοῖ ἡ ἐργασία τῶν βαφέων*

---

[73]) Franz Ann. d. inst. XIX p. 112 s. = Le Bas V, 1620. Per totum autem orbem Romanum agones celebrare iis concessum erat: *ἡ φιλοσέβαστος γερουσία, καὶ οἱ νέοι καὶ ἡ Ὀλυμπικὴ σύνοδος τῶν ἀπὸ τῆς οἰκουμένης ἱερονεικῶν καὶ στεφανειτῶν* (tit. Trallian. C. I. Gr. 2931.)

(3924 b), *τὸ συνέδριον τῶν πορφυροβάφων* (Le Bas Asie min. 1687 b), *οἱ λινουργοί* (C. I. Gr. 3504), *οἱ σ[πα?]τοληασταί* (1134), *ἡ συμβίωσις τῶν χαλκέων* (3639 cf. in add. p. 1130).

Ut iam de institutis et rationibus collegiorum paucis absolvamus, haud raro thiasus nomen conditoris fert (*ὁ θίασος ὁ Φαινεμάχου*), aut si plures conditores fuerunt, omnium nomina sodalitatis nomini adiiciuntur (*ταμιεύοντος — — Ἡρωϊστῶν τῶν Διοτίμου καὶ [τοῦ δεῖν]ος καὶ Παμμένου κτέ*). Interdum si sodalium coetus nimis magnus factus erat, minores turbae a toto collegio ad tempus discessisse videntur, e. g. collegii *Διὸς Ἀταβυριαστᾶν Εὐφρανορείων τῶν σὺν Ἀθηναίῳ Κνιδίῳ* Euphranor conditor est, Athenaeus Cnidius praeses partis.

Secundum legem quandam eranistarum Atticorum [74]) magistratus eorum qui in collegium ascisci voluerunt animum atque mores explorare debebant; nemini nisi qui *ἅγιος καὶ εὐσεβὴς καὶ ἀγαθὸς* probatus fuit, intrare licuit. Talem censuram quamquam non putaverim semper severa sanctimonia actam esse, nolim tamen cum Schoemanno ad iocos referre (Gr. Alt. 1, 518). Ceterum conditiones quibus singula collegia socios asciscebant satis diversas fuisse consentaneum est. De sodalibus inter Heroistarum collegium Atticum recipiendis suffragia ferebantur; sodali simulatque ascitus est, triginta drachmae solvendae erant. Si quis sodalis Athenas reliquit, quo erani particeps maneret, tres drachmas certis temporibus solveret opus erat. Omnium sodalium tributum sex drachmarum erat, quae solvendae erant etiamsi so-

---

[74]) C. I. Gr. 126 = Le Bas 358. Cf. Keil Sched. epigr. p. 38. 40.

dalis forte fortuna quominus conventibus adesset prohiberetur. Quando sodalis tributum non solvit, statim e sodalicio eiectus omnibus privilegiis privatus est, nisi adversarum rerum iustam excusationem haberet.

Illis igitur symbolis arca communis (*τὰ κοινὰ*) colligebatur, quae sacrificiorum conviviorum sumptus praeberet. Praeterea secundum erani naturam et legem pecunia communi sodales in rebus adversis iuvabantur, quod quibus conditionibus, qua ratione ac via factum sit, certis testimoniis effici nequit.

Uno quoque anno festi dies pompa sacrificiis conviviis instituendis celebrabantur. Haliastae Rhodii certum mensem conventuum concelebrant (*τῷ συλλόγῳ τῷ ἐχομένῳ μηνὶ τῶν συνόδων*), Dionysiastae ibidem *τὰν ὑποδοχὰν τῶν Βακχείων*, Sarapiastae Cei Isidia, orgeones magnae matris *τὰ Ἀττίδεια*. Cur synodus mercatorum Tyriorum Neptuni solemnes dies insigni ratione concelebret, in aperto est. Hisce diebus magistratus et sodales bene meriti coronabantur. Unus e sodalibus postquam merita eius qui corona honorandus fuit, singula narrando, quibus ille per annum de collegio bene meruerit, laudibus extulit, clara voce coronationem renunciavit. Corona, quae *εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον* sive *εἰς τὸν βίον* dari solebat, aut oleaginea erat aut aurea aut florea. Haliadae Rhodii praesidem aurea corona secundum legem maxima coronari iubent; iidem coronae lemniscum aureum (*διλήμνιον*) affigunt. Praeterea imagines clarissimorum magistratuum aut „euergetarum", sive statuam sive tabulam pictam, loco nobili, saepissime in templo aut prope templum ponunt.

Sodalium sepulturam curasse omnia collegia verisimile est. Thiasotae magnae matris quaestori propterea

honoribus afficiunt quod, cum arca communis sumptibus collegii non suffecerit, sepulturam sodalium curaverit. Deinde si quotannis mense hyacynthio sepulcra coronis ornare solent (C. I. Gr. 2525 b), idem in ceteris quoque collegiis valuisse putandum est. Apud Romanos sepulcra communia omnia sollegia curasse demonstravit Mommsenus (de coll. et sod. p. 97).

Summus magistratus est *ὁ ἀρχιθιασίτης* [75]) vel *ἀρχερανιστής, ἀρχιερανιστής, ἀρχέρανος,* qui pecuniam solvendam eiusque usuram curat[76]); *ὁ ταμίας* vel *χρυσονόμος* arcam communem tuetur, *ὁ λογιστής* a rationibus est; *ὁ γραμματεὺς* decreta scribenda album *(τὸ κοινὸν γραμματεῖον)* et sim. curat. Serapiastarum erano mulier praeest, *προερανίστρια* appellata. Mulieres sacerdotali munere illis temporibus publico quoque functas esse notum est[77]). Quare non est quod miremur, si in illis privatis sodaliciis mulieres omnes magistratus administrare poterant. Sacerdotes *(ἱερεῖς, ἱεροποιοί)* aut in vitam aut in unum mensem creantur[78]). Praeter illos magistratus alii commemorantur, *ἄρχοντες, προστάται, ἐπιμεληταί, ἐπιστάται, ἐπιμεληταί, ἐπίσκοποι. Σύνδικοι* iura collegiorum tuentur, *ἱεροκῆρυξ* ut decreta renuntiet creatur.

Eranistae Attici archeranistum, quaestorem, syndicos in annum sortitione creant, *ὁ προστάτης,* summus magistratus, per vitam munere fungitur. In muneribus

---

[75]) *Θιασαρχήσαντα* habes in titulo C. I. Gr. 2699.

[76]) *Ἀρχερανιστὴς ἔτη δέκα καὶ ὀκτὼ ἐπαύξησε τὸν ἔρανον* C. I. Gr. 2525 c.

[77]) Keil Mus. Rhen. XX, 555 s.

[78]) Hesych. *ἐπιμήνιοι οἱ ἱεροποιοί* cf. K. Fr. Hermann Gottesd. Alterth. 11, 14. Ross Inscr. Gr. ined. II, 175.

administrandis magnam liberalitatem ostentare student. Omnibus fere decretis diserte proditur, honores ad certamen liberalitatis excitandum renuntiari. Ita praesides sacrificiorum sumptus tolerant, aut pecuniam sine usura mutuam dant[79]), aut aedificia restituenda vel exornanda curant. Quaestor thiasotarum Iovis Labraundii impensam tulit porticus et fastigii in templo dei s. q. s. s. Scribae cuidam, qui libros rationesque summa pietate administraverat, mercedem decreverant; quam cum scriba accipere noluisset, ob liberalitatem valde laudatur (Arch. Anz. 1865 p. 110*).

Magistratus severa disciplina coercentur; si aliquo modo collegii mandata neglexerant, certa summa deo collegii patrono sacra solvenda erat[80]). Unicuique sodalium licet eum qui contra collegium peccavit statim accusare. Decreta nullo modo turbari debent; si quis periculum fecerit, *ἔνοχος ἔστω νόμῳ τῷ ἀκινήτῳ* (C. I. Gr. 2525 c). Quare eranistae Attici iusiurandum dant, se legibus omnibus accurate oboedituros esse.

Servi quoque illis temporibus non solum erani auxilio frui sed collegia quoque instituere poterant. Illud

---

79) In titulo ephem. arch. 2629 *χρείας τε γενομένης ἀργυρίου εἰς ξυλωνίαν τῷ θιάσῳ προσήνεγκεν τὸ ἀργύριον ἄτοκον* de facibus emendis quibus orgia aliaque eius generis agerentur intelligenda esse editori vix crediderim. Potius ad ignis alimenta inter lignarios emenda spectant.

80) *Δραχμὰς ἱερὰς τοῦ Σαράπιδος* (C. I. Gr. 120) *Ρ δραχμὰς παραχρῆμα ἱερὰς τῇ μητρὶ τῶν θεῶν* (Ephem. arch. 2583.) cf. *ἀποτεισάτω ἱερὰ Ἀφροδείτῃ δηνάρια τρισχίλια* in titulo Aphrodisiens (ann. XIX p. 212). Quid quod vel hodie eiusmodi nummi extant, alter Crotonianatarum, cui stilo insculptum est *ΓΙΑΡΟΝ ΤΟ ΑΠΟ[ΛΛΟΝΙ]* (R. Rochette mém. de num., monn. de Caulon. tab. 3, 24), alter Milesiorum, cui insculptum est *ΕΓ ΔΙΔΥΜΩΝΙΕΡΗ* (ib. tab. 3, 27. Millingen Syll. tab. 2, 44) cf. Minervinium Bull. arch. Nap. V p. 59. VI p. 91. Osserv. num. p. 139.

testantur permulti tituli manumissionum nuper Delphis reperti[81]. Collegium servorum Rhodiorum Iovi Atabyrio sacrum supra commemoravimus; alio titulo *Δαμᾶς Λυδὸς ὑπὸ τοῦ κοινοῦ* honoratur, quem servum fuisse vix dubium est. Denique catalogum tributorum thiasi Cnidii[82] ad collegium servorum spectare docent nomina, qualia sunt *Σωτήριχος Λίβυς, Δάμων Σολεύς, Διοκλῆς Φρύξ*. Apud Romanos quoque servos collegia instituisse notum est[83].

Res collegiorum haud raro imminutas et fractas fuisse vel inde efficitur, quod saepius opes sodalium divitum *ἐν ἀναγκαιοτάτοις καιροῖς* adhibitae laudantur. Columnarum, quae fundis obligatis vel pigneratis apponebantur *ὅροι* dictae, exempla nonnulla ad thiasos spectantia servata sunt[84]. De talibus rebus lites interdum ortas esse facile est intellectu; adnumerandae sunt haud dubie iis actionibus, quae vocabantur *ἐρανικαὶ δίκαι* et quam brevissime ad finem perducendae erant[85]. Cuius generis causarum unum exemplum hic commemorasse satis erit. Sodalitati Icadeorum lis intenta erat, qua area communis magnum periculum subire videbatur. Adversae parti autem contigerat ut nonnullos eorum ad se attraherent, qui collegio antea fidem dederant, tum tem-

---

[81]) Wescher et Foucart Inscr. de Delphes (Paris 1863) 89. 107. 139. 213. 244. Cf. Foucart mém. sur l'affranchissement des esclav. par forme de vente à une divinité (Paris 1867) p. 28.

[82]) Newton Discov. of Halicarn. Cnid. and Branch. II p. 756.

[83]) Mommsen De coll. et sod. p. 102.

[84]) *Ὅρος χωρίου πεπραμένου ἐπὶ λύσει θιασώταις Ἰσοδαίτου δημότου* Keil. Anal. epigr. p. 142 cf. Finlay Transact. of the Roy. Soc. of Litt. III, 2 p. 395. Ephem. arch. 1862, 77. Boeckh Staatshh. I, 180. Meier-Schoemann Att. Proc. p. 506.


[85]) Poll. VIII, 63. 101 cf. Boeckh Staatshh. I p. 72.

poris autem inimicos coram iudicibus adiuvabant. In hoc rerum statu Polyxenus Diodori filius illos proditores falsi testimonii accusare studet; collegium autem tres viros creare constituit qui Polyxenum adiuvarent; denique Polyxenus ob virtutem pietatemque erga collegium aureae coronae honore afficitur.

Rebus publicis oppressis bona collegiorum (*τὰ θιασωτικὰ*) in communem usum conferebantur aut vendebantur (Aristot. Oecon. II, 2, 4); collegia pro damni restitutione fundos publicos parvi pretii accipiebant, aut in civitatibus maritimis certa privilegia iis tribuebantur, quae ad pisces capiendos aut negotia salaria agenda spectabant. (cf. Boeckh Staatshh. I, 776.)

VITA

Natus sum *Hermannus Otto Lüders* Anholti *Josepho* et *Maria* parentibus. Fidei addictus sum catholicae. Patris iam ante XXII annos morte mihi erepti memoriam semper pio animo colam. Aestate a. LIV mater mea domicilium transtulit Bonnam, ubi gymnasium adii quod tum *Ludovico Schopeno* viro humanissimo praeceptore dilectissimo rectore florebat. Faustissimo autem numine mihi contigit, ut inde ab aestate a. LXII *Fr. Theophilo Welckero*, venerabili antiquitatis peritorum principi, lectoris munere fungerer, cui viro quantum debeam laudibus persequi non est huius loci. Inde ab a. LXIV in hac universitate studiis philologicis operam dedi. Docuerunt me per hoc tempus *Bernays*, *Held*, *Jahn*, *Kekulé*, *Knoodt*, *Maurenbrecher*, *Nissen*, *Ritschl*, *Simrock*, *Schaefer*, *Springer*, *Sybel*, *Usener*, *Varrentrapp*. Singulari benevolentia *Jahnii* et *Useneri* factum est, ut seminarii philologici per quater sex menses sodalis essem ordinarius, praeterea *Jahnius* benigne concessit, ut exercitationibus archaeologicis per totum studiorum tempus operam navarem, *Bernaysius* ut exercitationibus Aristoteleis interessem. Quibus viris omnibus, praecipue vero *Ottoni Jahnio* et *Hermanno Usenero* gratam semper piamque servabo memoriam.



Sententiae controversae

I. Eur. Alc. v. 145 s. Nck. post. v. 149 transponendi sunt.

II. Eur. El. v. 35—38. 258—261. 688 Nck. interpolatori debentur.

III. Eur. Suppl. v. 222—228 Nck. eiiciendi sunt.

IV. Eur. versus qui hodie exstant in Electra fabula 294—296 Nck. ex Antiopa fabula inlati sunt. Cf. Stob. III, 27. I p. 80.

V. Eur. fr. Antig. 172 Nck. ita restituo:

οὔτ' εἰκὸς ἄρχειν, οὔτ' ἐχρῆν ἄνευ νόμου
τύραννον εἶναι· μωρία δὲ κ' ὠφελεῖν (cod. καιθέλειν).
ὅς τῶν ὁμοίων βούλεται κρατεῖν μόνος.

VI. Ter. Adelph. prol. v. 9 s. ita interpungendum scribendumque esse propono:

eum Plautús locum
Relíquit; integrum hic locum sumpsít sibi
In Adélphos, verbum dé verbo expressum éxtulit.

VII. Mythologia graeca adhibitis monumentorum selectorum imaginibus in gymnasiis enarretur opus est.

